

venienti ei Athenienses cum conjugibus & liberis, & Διόνυσον salutaverunt. Bene illis cessisset: si natus Atticus ibi substitisset: dixerunt despondere ipsos in matrimonium Minervam suam, & rogaverunt ut duceret. At Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se illis mille talenta. Tum ex Græculis quidam ait, Κύριε, ὁ ζεὺς τῶν μητέρων σὲ Σεμέλην ἄποστολον εἶχε.

Græciæ regimen.

Quod ad modernum Græciæ regimen attinet, ejus Rector Græcis vocatur *Vromeli Beglerbey*, id est Romanorum principum Rex; præest enim omnibus regionibus, quas in Europa habet Turca, quæ novæ Romæ Constantinopoli subjectæ fuerunt. Hic sub se habet XL Sangiagler, sive Sangiacos, qui sunt Capitanei copiarum equestrium ex Spachoglanibus electi, & in principalibus civitatibus provinciarum comorantur ad continendum eas in officio & pace, ipsisque subsunt 150 Sobasci Cimmeriotæ aut plures, qui sunt quasi vicarii per minora oppida distributi. Sub his autem Sangiacis 30000 Spachi sunt, quorum quilibet tribus aut quatuor equis meret. Et sunt hi Spachi per *flamboler*, hoc est, vexilla distributi, quæ CC, CCC, CCCC, aut 10 equites continent.

Inter Sangiacos potentiores sunt Rector *Modenæ*, qui præest toti *Moreæ*, qui ad mandatum *Beglerbey* mille equites adducit, quos suo stipendio sibi devinctos habet. Item *Gubernator Bosnæ* habens 10000 equites, & *Thessalonicæ* habens 10000 equites, quorum C perpetuo penes se servat, reliquos monitus Turcæ in subsidium mittit. Sunt præterea sub hoc *Beglerbeyo* Sangiacis subjecti XX millia equitum, qui *Tymariotæ* vocantur, quod ex *Tymar*, hoc est, arario Imperatoris stipendia habeant. Et item LX Clō Akengi sive *Acconti*, id est, fatales sive periclitatores, qui liberi & exempti à tributis absque ullo stipendio equites serviunt, victum præstantibus civitatibus, per quas transeunt: sunt prædones, grassatores & vastatores. Sunt etiam multi feudatarii, *Mosselin* dicti, qui aliquando ad LX millia equitum & magnum perditum numerum colliguntur.

Divisio antiqua.

Dividebatur olim Græcia universa in partes maximas duas, angusta terræ cervice inter maria duo interjecta, quam *Isthmum* vocant, connexas: quarum altera extra *Isthmum* versus septentrionem sita est, eaque major; altera intra *Isthmum* versus meridiem, undique pelago, nisi quæ *Isthmus* est, circumflua, unde & *Chersonesus*, ac proprio nomine à principe *Pelope*, qui late in ea dominatus est, *Peloponnesus*, nuncupata veteribus fuit, priore multo minor.

Insulae.

Et his partibus insularum multitudo accedit: quarum multo maxima *Creta* longo spatio mari *Ægæo* ab austro prætexta, in longum porrecta: dein *Eubœa* continentis litori objacens: *Corcyra*, *Cephalenia*, *Zazynthus*, in Ionio pelago litoribus Græcia.

apposita: cæteræ fere extra numerum. Hinc Græcorum regioni à septentrionibus imminet, *Macedonia* inter *Thraces* & Græcos media, mari *Ægæo* contigua, & *Illyricum* cum *Epiro*, quæ mixti juris est inter Græcos & Barbaros, *Ionium* spectans.

Tota divisa fuit iis sæculis, quibus res Græcorum florere, in regiones minores præcipuas & celebriores has: *Thessaliam* *Macedoniæ* confinem, lateque patentem, *Locros* *Epicnemidas* & *Opuntios*, *Bœotiam*, terram *Atticam*, cum *Megarensi* secundum mare *Ægæum*, & sinum *Saronicum*: deinde *Phocidem*, *Locros* *Ozolis*, *Ætoliam*, *Acarnaniam* ad mare *Ionium*, & sinum *Corinthiacum*, seu *Crisæum*, qui *Ionii* pars est: & in *Mediterraneis*, *Doridem* regionem non amplam: omnes extra *Isthmum*: intra *Isthmum* verò, *Achaiam* propriam ad sinum *Corinthiacum* porrectam, *Megaridi*, parti *Bœotiæ*, *Phocidi*, *Locris* *Ozolis*, *Ætolia* oppositam, & in *Boream* reliquæ *Peloponneso* vergentem, tum *Elin*, *Messeniæ*, *Laconiam*, fluctibus *Ionii* verberatas, *Argolidem* *Ægæo* pelago expositam & in *Achaia* fines redeuntem, denique *Arcadiam* *Mediterraneam*, nusquam mare attingentem, reliquis jam dictis in media *Peloponneso* circumfusam: omnes *Peloponnesi* nomine communi comprehensas. Hæ partes Græciæ in continenti.

Regiones minores & celebriores.

Verum hæc gens extra patriam suam non finitimas solum regiones alias, sed etiam longe distitas, præsertim oras maritimas, *Macedoniæ*, *Thraciæ*, *Epiri*, *Illyrici*, *Siciliæ* insulæ amplissimæ, & post *Britannicas* *Europæarum* longe maximæ, frontis *Italia*, quæ ex eo magna Græcia dicta fuit, *Campaniæ*que in Europa: præterea *Ponti*, *Bithyniæ*, *Phrygiæ*, *Lydiæ*, *Cariæ*, *Lyciæ*, *Pamphylia*, *Cypri* insulæ, in minore *Asia*, *Ægypti*, *Marmaricæ*, terræ *Punicæ* in *Africa*, demum insulas diversis litoribus objectas coloniis suis oplevit, & per has genus instituta, usum linguæ suæ longe lateque propagavit. In insulis *Asia* vicinis & ei accensis, eminuere *Lesbus*, *Chius*, *Samus*, *Cous*, *Carpathus*, & clarissima *Rhodus*; juxta *Thraciam* in *Ægæo* *Lemnus*: in latere *Epiri* & *Acarnania*, quas ante dixi. Hæ sedes Græcorum.

Regiones Græcorum extra Græciam.

De antiquitate horum populorum sic accipimus. Antiquissimæ in tota Græcia res fuere *Sicyonis*, civitatis *Argolicæ* *Corintho* vicinæ, haud procul litore sinus *Corinthiaci* sitæ ad ipsum confinium regionis *Achaicæ*. Hujus reges aut principes complures ante *Inachum* primum *Argivorum* regem & conditorem recensentur à *Chronologis*, sed recensentur tantum, res eorum nullæ memorantur. Primus ejus rex *Ægialus* initia *Inachi* antecessisse traditur annis CC XXXII.

De antiquitate populorum Græciæ Sicyonii.

Claritudine autem priscis illis sæculis antecellere res *Argivæ* in eadem regione *Argolica*, initium ducentes ab *Inacho* urbis *Argorum* conditi-

Argivi.